

CERTAMEN CAPITOLINVM LXXVI

OMNIBVS LATINARVM LITTERARVM LINGVAEQVE STVDIOSIS HOMINIBVS PROPOSITVM

A. MMXXV

INSTITVTVM Romanis studiis provehendis, auspiciis et impensis adiuvantibus Romanae civitatis Magistro itemque Administro humano civilique cultui fovendo, ad novum Capitolinum Certamen omnes ubique gentium Latinarum Litterarum Linguaeque studiosos homines invitat.

Certamen proponitur in duas partes divisum.

Quod ad priorem partem attinet, iudicum collegium attente considerabit ac sine provocatione iudicabit doctorum virorum opera in lucem edita annis tantum MMXXIII et MMXXIV. Victori praemium, quod Urbis Praemium nuncupatur, erit argenteum sigillum, lupam Capitolinam imitatum, in basi victoris nomen atque annum diemque certaminis praeferens, nec non diploma. His muneribus quingenti Eurodenarii adicientur.

Quod autem ad alteram Certaminis partem attinet, iudicum collegium attente considerabit et iudicabit iuniorum studiosorum opera ad ipsum Institutum missa ante Kal. Febr. proximi anni (vide caput III Certaminis legum). Qui victor de agone discesserit, nummo decorabitur, iuvenis nomen exhibente, nec non diplomate. His muneribus ducenti Eurodenarii adicientur.

Ceteri petitores utriusque partis Certaminis, qui digni habiti erunt, laude ornabuntur.

Exitum certaminis, cum diei Urbis natalis sollemnia celebrabuntur, in aedibus Capitolinis Romanae civitatis Magister renuntiabit.

LEGES CERTAMINIS

I) Operibus ad Latinam linguam, ad artem grammaticam, ad historiam litterarum Latinarum pertinentibus certare licet. Excipiuntur compilationes et scripta gymnasiis lyceisque destinata.

Operibus ad utramque Certaminis partem attinentibus impressus sit annus MMXXIII vel MMXXIV: libelli omnes Latino vel nostrae aetatis sermone, id est Anglico, Francogallico, Germanico, Hispanico, Italico, sint scripti neque praemio vel laude iam sint ornati.

Praemium vel laus non illis deferetur, qui e vita excesserunt.

II) Alterius partis petitores omnes licebit Certamen adire UNO LIBELLO: petitores vero pridie Kal. Febr. a. MMXXV non amplius triginta quinque annos nati sint.

III) Scriptores alterius partis aemuli tria libellorum suorum exemplaria, tabellariorum diligentiae commendata, mittant ad ISTITUTO NAZIONALE DI STUDI ROMANI - UFFICIO LATINO - PIAZZA DEI CAVALIERI DI MALTA, 2 - 00153 ROMA ante Kal. Febr. proximi anni.

IV) Iudices erunt tres viri a Romanae civitatis Magistro, ab Administro humano civilique cultui fovendo et a Praeside Instituti nostri delecti.

Opuscula - iudicio publicato - non remittentur, sed auctoribus praesto erunt, ut suum unicuique reddatur, apud Institutum Romanis studiis provehendis, quod unum exemplar sibi servabit. Scripta, quae auctores non abstulerint, sexto exacto mense post iudicium publicatum non reddentur.

D. Romae Kal. Iun. A.D. MMXXIV ab V. c. MMDCCCLXXVII

Caietanus Platania
INSTITVTII PRAESES